

NOVUM LUMEN MEDICUM
De Myſterio Sulphuris Philoſophorum.
JOACHIMI POLEMANNI.

CAPUT. I.

DE OCCASIONE SCRIBENDI
hunc libellum.

Ulamvis ex immenſa Dei noſtri miſericordia factum ſit, ut in hoc ſeculo nobis indignis hominibus ſingulare & clarum lumen in Medicina, in ſolatum ægrorum, per Johannem Baptiſtam Helmontium illuxerit, illudque à quamplurimis Medicis, veritatis avidis, agnitum & charum habitum fuerit, & hujus Luminis cauſâ Helmontiana ſcripta non invitâ Minervâ legerint & conſiderarint: Nihilominus tamen res eò devenit ut ferè omnes de obſcuritate prædictorum librorum conquerantur, imprimis verò quod ad ſummæ medicinæ, & tincturæ ſeu ſulphuris cupri præparationem ſpectat, quam omnes pro re in Medicina maximè neceſſaria & meritò quidem judicaverunt. Hæc cauſa fuit ut multi ad indagandam hujus myſterii elucidationem, commercium literarum inſtituerint, & quilibet de auro hoc arcano fuerit ſollicitus. Quo in luto ego quoque hæſi, ad eò ut poſtquam Philoſophi noſtri ingenioſos libros legeram, nec tamen qua ratione myſterii hujus nodum ſolvere poſſem viderem, iter apud viros doctos inquirendi cauſâ ſuſcipere conſtiterim: Quare nullum itinerationis laborem ſubterfugiens in diverſis regnis, etiam cum vitæ periculo, viros in hac arte ſecreta expertos inveſtigavi, & cum ipſis de hoc ſummo ſanitatis theſauro coptuli, nullum tamen, qui hoc vinculis arctis conſtrictum ſulphur Philoſophorum ſolveret, aut ejus cynoſuram aliquam ſubministrare poſſet, inveni. Imò inter ſat celebres non paucos vidi, qui non dicam cupri, ſed Antimonii animam ſeparare non potuerunt. Quare alius conatus mihi eligendus fuit, & Philoſophi noſtri monitis in libro de venatione ſcientiarum obſecundando, Naturæ veritatem non ampliùs apud homines ſed apud Naturæ ſeaturiginem Creatorem humilibus precibus quæſivi, Philoſophi noſtri ſcripta ſtudioſè legi, ad verba ejus eorumq; ſenſum animù attendi, & unù cum altero conferendo non ſegniter laboravi, qua ratione tandè ad veritatis apicem perveni. Cum igitur is qui aliquando morbo detentus fuit, ægri ſtatù moleſtum benè cogniſcum habeat, ſicque me non lateat, quo deſiderio ignorantes & errantes hoc ſulphur Philoſophorum quæſiverint, & expectaverint, officio debitæ charitatis Chriſtianæ me functurum putavi